Case Medical Library

De

Scirrho et carcinomate.

Dissertatio inauguralis

quam

publicae eruditorum disquisitioni

submittit

Carolus Ried,

Landsbergensis Bavarus.

Medic. Chirurg et art. obstetr. Doctor.

Monachii 1843.

TYPIS, FRANC. SERAPH. HÜBSCHMANN.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0002

Hasce studiorum suorum primitias

Patri suo

dedicat

gratissimus auctor.

Morbi denominatio et definitio.

Cancer, carcinoma, carcinus, noli me tangere, lupus cancrosus, cacoëthes, chironeum, telephium, phagedaena, Keloides, Krebs, est peculiaris formationis morbus, in partibus interioribus organi varia stadia percurrens, cum nisu perpetuo, omnes partes sine discrimine naturae suae delendi et in sui similem massam transformandi, rarissime sine adhibitu remediorum in sanitatem abiens, ad certam acmen progressum organismi specificam labem procreans.

Physiologici characteres.

In desorganisationibus scirrhosis substantia non mutata nodus, qui circa nucleum solidum formationem lamellatam cum albe splendentibus virgis monstrat, qui a centro ut radii et ramificationes ad superficiem se trahunt. Intra has virgas et lamellas adiposa maceratae cartilagini similis substantia cana interjecta est, et rubor carnis disparet. Aut unus aut plures nodi simul in organo se formant, et casu posteriori eradiationes e pluribus centris exeunt, crescunt, confluunt, et parenchyma proprium, quod

atrophit, resorbet, et in scirrhum non permutatur, amovent. Nodi juncti tuberculosam et durissimam massam formant. Arteriae minores clausae, venae majores dilatatae sunt. Organo scirrho affecto in functione sua perturbato, nec non nutritione organorum caeterorum propter pseudorganismum interrupta processus nutritionis nititur ad formationem carcinomatosam, organismo ingestam, et ut haec centrum fit nutritionis, ita ceterae partes nutritione egent. Atrophia igitur existere potest, etiamsi organum aegrotum ad vitam non absolute necessarium est, et chylificatio et respiratio recte procedit.

Anatomici characteres.

Carcinoma duobus essentialiter distinctis elementis compositum est.

1) e tela formationis (Zoogen), quod autem semper in humillimis formis se demonstrat, et telae formationis infimorum animalium, Medusarum etc. simillimum est.

2) e vasis, quae in has telas formationis excurrunt. Haec se habent, ut vasa infimorum animalium, tenui cute; et sanguis horum vasorum sanguini foeti et animalium infimorum similis esse videtur, quod ad formam globulorum cruoris et eorum rationem ad caetera elementa ex maxima tenuitate ejus sequitur. Ratio telae formationis ad vasa in diversis formis diversa.

Nonnullis formis sic dictum systema vasorum centrale, quod nonnunquam primum sejunctum est,

tum vasis normalibus confluit, ut etiam in formationibus vasorum pseudomembranarum post inflammationes. Aliae formae potius externum et perihericum systema vasorum habent, quod primum sejunctum est, et tum vasis normalibus confluit. De modo et tempore formationis, situ et formis vasorum in singulis formis fere omni observatione egemus. Novissime analysis chemica partium scirrhosarum et carcinomatosarum maxime a medicis Francogallicis tentata est, cujus nunc nota producta haec sunt: albumen, pinguedo quaedam singularis, gluten, aquae multum, et carbone cocta salia vulgaria. Analysis chemica diversarum formarum carcinomatosarum in stadiis diversis adhuc exspectatur, quamquam de varietate dubitari non potest, cum formatio carcinomatosa et structura ejus continue permutari videtur et his permutationibus in materia etiam permutationes in mixtione chemica respondere debent, quod ex analogia patet, nam producta analyseos incubiti et cubiti pulli maxime differunt. Omnes formationes carcinomatosae tria stadia percurrunt:

1) stadium scirrhi,
2) stadium formationis vasorum,
3) stadium involutionis, sed initium et tempus eorum, modus permutationis per varias formas diversa sunt.

Primo stadio pseudoplasma zoogeno existit, ut pullus incubitus.

Maxime varietas paret in scirrho glandularum; in quo facile externa, non pellucida, fibrosae telae similis, et interna, dura quidem et solida, sed magis

pellucida, gelatinae densatae speciem habens massa distingui potest; prior varias cellas cum stratis, quibus posterior inclusa est, format.

In secundo stadio, in stadio formationis vasorum carcinomatis, nonnulli aditum aëris ad formationem vasorum in scirrho necessarium esse putaverunt, ex quo carcinoma tum cresceret; unde divisio in cancrum occultum et apertum; quam tamen plurimi recte repudiant, quia ad formationem vasorum in scirrho, quo ad carcinoma procedat, aditus aëris non necessarius est. Plures anatomici in tumoribus scirrhosis inquisitis, quamquam cute tectis, vasa, ut dirutis tegimentis, reperierunt. In nonnullis formis carcinomatis ex. gr. sarcomate medullari, fungo haematode cerebri, vasa se formant: quamquam hae formationes saepissime per totam vitam aditui aëris detractae sunt; ergo hic essentialiter necessarius non videtur, quamquam eum saepe formationi vasorum favere constat.

In stadio ultimo, stadio involutionis, pseudoplasma moritur, sed tantum partim et ita, ut morientibus partibus singulis, finitimae se evolvant.

In carcinomate glandularum hoc maxime patet; imo strata fungorum, ulcus tegentium, se involvunt, sub his autem alia germinant, et incircuitu omnia sunt in floribus. Rarissime involutio ad totum parasitem se extendit, et hic in loco germinationis interit.

Diagnosis.

Externe se demonstrant: saxea, nodosa duritas, rigor frigidus, plena insensibilitas, mediocre quod-

dam voluminis incrementum, nonnunquam etiam corrugatio, semper detrimentum in peculiari forma organi aegroti ex. gr. ovatae formae testis, formae haemisphaeroidis mammarum. Maxime scirrho subjectae sunt glandulae, inprimis nonnullae conglommeratae extra stratae, (mamma et testes, glandulae maxillares, thyreoidea et parotis) sed etiam conglobatae (lymphaticae et viscerales), praeterea membranae mucosae, maxime cryptae mucosae, in externo systemate dermatico glandulae adiposae. Scirrhus propius spectat ad systema sexuale, in hoc ad testes, mammas et uterum, maxime post repetitas naturae repugnantes et immitigatas irritationes eorum. Genus foemininum, expositum maxime his irritationibus saepius quam masculinum scirrho laborat, maxime in agonia, coelibatu, ommissione lactandi, per vel post annos involutionis; prius habita scrophulosis, constitutio atrabilaris, diu sedens vita incluso vel impuro aëre, curae et angor dispositionem fundant.

Induratio et scirrhus se anamnestice sejungunt, cum indurationi acuta inflammatio activa antecedit, non autem scirrho; semiologice, quod in illa duratio nunquam tam gravis, saxea et nodosa, voluminis incrementum saepissime majus, corrugatio nunquam est; prognostice, quod induratio semper benigne manet, scirrhus autem in carcinoma excedit.

Inter indurationem benignam et scirrhum nullae sunt formae mediae, sed morbi sunt concreti, in quibus diagnosci non potest, num sint prioris vel posteriorit generis. Ex multis post contusiones relictis indurationibus, postquam diu benignae fuerant, nova

contusione vel alia irritatione accessoria character scirrhosus se evolvit, quod etiam in aliis indurationibus apud aditum ad annos involutionis sexualis evenit. Substantia scirrhosa in organo indurato et sano nasci potest, imo induratio jam consistens ad hanc procreationem maxime disponit. Pari modo et in pseudoplasmatibus, ut polypis et in cysticis membranis substantia scirrhosa explicari et eo ad metamorphosin carcinomatosam cogi potest; nam in scirrho sensim sensimque inflammatio interna centralis et ulceratio nascitur, nempe permutatur in carcinoma occultum. Tumor prius torpidus, frigide contrectandus, nunc dolens et fervidus fit. Primum fugacia, celeriter percurrentia puncta, tum dolor urens, ut a carbone urente, incrementum velox, emollitio centralis, magna venarum expansio, color irregularis impositae cutis, affixio scirrhi inflammati ad organa, quare moveri non amplius potest, tumor et induratio scirrhosa earum glandularum conglobatarum, ad quas vasa lymphatica primitus aegroti organi adeunt, designant hoc stadium, in quo scirrhus ulcerose excavatus et cavum internum illaudabili sanguine valde liquido mixto pure impletum est. Hoc tandem aperitur inflammabili emollitione, extenuatione et ulceratione impositarum scirrho affixarum cuticularum, nunc apertus cancer, ulcus cancrenosum adest, quod ab omni alio ulcere turpi habitu, dura scirrhosa primigenia, fungosis brassicae floreae similibus, facile rumpendis, in summo emorientibus, solutis tumoribus ad partes exteriores inversis, arrosis, striatis accumulatis marginibus, peculiari dolente qualitate, inclinatione ad haemorrhagias, liquiditate, colore irregulari, acie et odore

specifico copiosi de nonnullis ulceribus cancrenosis raro separati liquoris carcinomatosi, qualitate phagadenica, inclinatione ad tumores glandularum, incurabilitate tandem non praecedente exstirpatione superficiei fundi scirrhosi et marginum facile secerni potest. Nonnulla neglecta et male tractata syphilitica, pseudosyphilitica et herpetica acribus deligationis unguentis, causticis corrupta ulcera pessimum carcinomati similem habitum demonstrant, attamen ulcera carcinomatosa non sunt. Verum carcinoma in glandulis semper gignitur e scirrho. In membranis mucosis ex. gr. illa linguae, intestini recti, illius, quae tegit partem cervicalem uteri etiam maxime primum nodi scirrhosi formantur, e quibus carcinoma evolvitur, ut in cute externa, ex. gr. margine labiarum. In his, in naso, in lingua carcinoma et in forma verrucae nasci potest, quae autem, ab aliis et in forma diversa, nil aliud est, quam papilla nervi cutis scirrhose degenerata, quod dicitur cancer verrucae. Carcinoma nodosum et emollitum pertinent ad fungum medullarem.

Aetiologia.

A. Causae internae.

1, Dispositio congenita.

Plurimi consentiunt, nonnullis familiis cancri morbos congenitos esse, et a parentibus ad infantes, interdum per intervalla una generatione liberata, ut et in dysmorphis, transire. Dispositio congenita reperitur maxime in carcinomate uteri, sed etiam in fungo haematode et in sarcomate medullari.

2. Genus.

Multi diu putarunt et nunc putant, apud feminas carcinoma saepius gigni, quam apud viros, nam fere usque ad hodiernum tempus carcinoma ad certam affectionem glandularum restrictum erat. Aliud in carcinomate sensu latiori, ubi differentia essentialis in partitione formarum inter ambo genera. Apud viros, carcinoma arteriarum, aneurisma spurium saepius existit, quia pars vasorum materialis praevalet, apud feminas autem carcinoma venarum, melanose, quia systema venosum praevalet. Apud feminas, ubi organa sexualia majoris ponderis sunt, in vita etiam individuali, quam apud viros, pluribus mechanicis et dynamicis irritationibus exposita sunt, carcinoma genitalium saepius gignitur, quam apud hos. Praeponderantia igitur cujusdam sexus non est, ad partitionem autem formae sexus influit.

3) Aetas et victus.

Causae internae cancri sunt: febres acutae, morbi systematis lymphatici, dyscrasiae, arthritis, syphilis, scrophulosis, suppressiones excretionum consuetarum, menstruationis, haemorrhoidarum, suppressa secretio lactis, secretiones mucosae, haemorrhagiae, affectiones deprimentes, angor, curae, ira, gaudia immensa, victus irregularis, usus creber aromaticorum, salariorum, assimilationi parum aptorum ciborum, potuum spirituosorum et incitamentorum irritantium, motiones acriores, continuum sedere corpore curvato, calor, frigus, coitus nimium iteratus, vigiliae, graviditates crebriores et inde irritationes mammarum, repulsa exanthemata, aër in-

sanus, habitationes malae, tempestas humida cum frigore, frigus vel calor nimium siccus, ulcera chronica incaute et celeriter curata, hysteria et hypochondria; ergo eruptio carcinomatis ad annos involutionis 40 — 60 magis, quam ad alios cadit.

B. Causae externae.

1) irritationes mechanicae.

Quamquam carcinomata semper morbum generalem, singularem quandam dyscrasiam praeseferunt, tamen etiam externae irritationes noxiae eruptionem accelerant, ut impressio ad partem scirrhosam, contusiones, quae non intensivam quidem, sed continuam affectionem procreant, tum morsus, frictio, scabere, vellicare cutem seu partem glandulosam, amputationes excrescentium in cute, nimia brachiorum fatigatio.

2. irritationes chemicae.

Applicatio irritantium et resolventium remediorum; saepe morbus glandularum benignus ita fit carcinomatosus, tum usus potuum irritantium et ciborum. Exemplum sit: scirrhus ventriculi continua fruitione potus illius, quem vocamus Fuselbranntwein.

3. irritationes mechanicae, quae simul et chemicae sunt; exempla sint: carcinoma ossium contusione ossis in individuo toxicatione mercuriali vel scrophulosi laborante; carcinoma labiarum in individuo dyscrasia laborante provocatum permanente irritatione dentis prominentis,

Genesis contagiosa.

Si contagiosum appellamus secretionis productum, quod, delatum ad alium individuum eundem morbum gignit, formae carcinomatosae contagiosae non sunt, sed tamen productum secretionis in carcinomate naturae miasmaticae est, id est destruit organismos alios, si effluvii vaporiformis satis aëri admixtum est, in quo illi vivunt; quod jam tentatum est. Duae vel tres metrocarcinomate laborantes personae in unum conclave positae sunt, et simul aves, quorum respiratio excultissima et idem tenerrimum reagens pro aëris permutationibus. Harum autem altera secundo die, altera paulo post mortua est.

Si vulnera recentia aëri conclavium exponuntur, ubi multi carcinomate laborantes sunt, in illis gignitur gangraena nosocomialis, easdem quas effluvia etiam producta secretionis liquida monstrant, nam ad recenter vulneratas partes transposita grangrenosam exstinctionem vel gangrenam nosocomialem provocant. Carcinomata magis singulariter, sporadice animadvertuntur, sed certis temporibus certae formae praevalere, ergo epidemicae esse videntur, ut novissime sarcoma medullare et fungus haematodes saepius, cutis autem et glandularum carcinoma rarius se demonstrant. Nonnullae formae, ut scirrhus ventriculi, fungus haematodes endemicae videntur.

Decursus

in variis formis varius, sed et in eisdem non semper idem, ut varia est longitudo temporis metrocarcinomatis et ventriculi in variis personis. Diffe-

rentia in decursu autem non tantum ab individualitate, sed etiam a varietate aetiologicarum et externarum rerum influentium pendere videtur; nam si forma in persona, quae victum diaeteticum regularem observat, et omnia incitamenta organi laborantis vitat forsan per quosdam annos se trahit, eadem in alia, quae has cautelas negligit, in paucis mensibus decurrit.

Exitus.

1. In reconvalescentiam. Nonnunquam, sed rarissime natura ipsa medetur, in exculto carcinomate, carcinomate glandularum, fungo medullari fere nunquam, et in formis etiam minus excultis, aneurismate, fungo haematode tantum paucis casibus. Actus caeterum medendi, etiam si arte effectus varius. Haec varietas pendet a stadio carcinomatis. In primo stadio, vasis nondum formatis carcinoma corruganda parte medetur. Pendet etiam a forma; alio modo medetur glandularum carcinoma, alio fungus haematodes etc. etc. Distinguendum vera a falsa sanatione. Diagnosis adhuc desideratis medicinae adnumeranda est, quamquam maximi momenti esset signa reperire et prognosi et curationi, de quibus vel ad unam vel ad alteram firma esset conclusio. Quaecunque tentatio declarationis hujus puncti igitur indulgentia digna, et si tantum signa quaedam annotamus, quae ad puncta quasi directiva serviant, aenigma non solvisse sed viam tantum ad solutionem designasse affirmamus. Signa ad sanationem radicalem sunt vel communia vel topica. Communia sunt:

a) permutatio coloris aegroti, permutatio et exstinctio anomalis pigmenti, restitutio coloris cutis regularis multa probabilitate sanationem radicalem designant.

b) Restitutio processus nutritionis in partibus normalibus. Si exstincta forma abnormi in partibus normalibus nutritio rursus fit, regulariter procedit, ut ante carcinoma occultum, sanatio radicalis verisimillima. Signa topica sunt: si locus ipse, ubi carcinomatosum pseudoplasma sedet, quocunque modo axstinctum, vel arte amotum est, et ejus vicinitas normalem se praebent, sanatio radicalis verisimillima. Deficientibus igitur signis his communibus et topicis sanatio saepissime exstitisse tantum videtur, et vel breviore vel longiore tempore elapso morbus reincidet, sit in loco eodem sit in alio remoto. Momenta hic influentia non accurate scimus, singula tantum nota sunt, et quidem: irritationem mechanicam in sede prioris morbi eruptionem ejus rursus provocare, irritationem vero dynamicam, alio in organismo forte vel existente vel praesente morbo effectam, in loco alio eruptioni carcinomatis favere ex. gr. fungum haematodem operatione ab extremitatibus ad pulmones, processu catarrhali affectas et perpetuo irritatas transire videmus. In casu alio fungus haematodes, gradus infimi a ventre remotus est; sectio personae mox posthac mortuae totum tractum intestinorum, maxime membranam serosam fungo haematode tectum designabant. Formae igitur carcinomatosae

hac lege iterum crampunt: organum morbo affectum et irritatum attrahit alios in organismo existentes processus morborum.

2. In mortem.

a) Profusione sanguinis et quidem e nato universali torpore. Profusione quidem exigua, carcinomate vero organa ad vitam absolute necessaria premente, mors inde nascitur.

b) Febri hectica. Mors evenit eo citius, quo major febri dissolutio adhaeret, et quo acriores dolores sunt.

c) Convulsionibus, raro quidem et tantum in formis, quae sedent in systemate nervorum.

d) Hydrope, inprimis in metrocarcinomate, quo pressio uteri ad nervos sacrales et pudendos, oedema pedum et hydrops accedit.

Prognosis.

Infausta; pendet enim:

1) a dyscrasia, quae basis carcinomatis est, ab investigatione ejus, et a difficultate amotionis investigatae.

2) a forma, minores formae carcinomatosae faustiorem habent prognosin, quam magis excultae.

3. a stadio. In primo stadio, vasis nondum formatis, prognosis faustior est, quam in secundo stadio, quo jam major vita in pseudoplasmate est, vel in tertio, ubi jam exstinctio partialis est.

4. a sede affectionis, quo magis in peripheria organon et quo potioris indaginis pro organismo, eo faustior prognosis et vice versa.

5. a latitudine affectionis. Restrictio ad singulas partes ad locum nativum fausta, quo magis autem se extendit, vel si jam ad communicationem praegressum est, eo infaustior prognosis.
6) a volumine formationum carcinomatosarum, a gradu maciei caeterarum partium et a participatione organismi universalis. Infaustissima est febris hectica, inprimis si putrescentiae characterem habet et conjuncta est cum magnis doloribus.

Indicatio.

In toto medicamentorum thesauro fere nullum remedium est, quod non contra carcinoma adhibitum sit, sed quo plura remedia contra morbum, eo difficilior sanatio. Tractatio carcinomatis, in libris nostris de chirurgia et therapia adhuc valde egens, ad productum tantum desorganisationis se restringit, causas autem primitivas fere omnino negligit, quanquam inde tantum sanatio radicalis exspectari potest. Methodi medendi jamjam adhibitae hae sunt:

1. Methodus resolvens.

Scirrhus verus resolvi non potest, in eo resolventia, maxime efficatiora adhiberi non possunt, illis tantum irritatur et permutatio carcinomatosa acceleratur.

2. Methodus antiphlogistica.

Nata est ex opinione, carcinoma ex simplici chronica inflammatione productum esse, quam vero experientia repudiavit.

Fomentatationes et cataplasmata emollientia, et interno usus remediorum antiphlogisticorum, et diaeta antiphlogistica se non probaverunt, ne extensionem quidem morbi restrixerunt vel retardarunt, et ubi haec methodus profuisse videtur, in diagnosi erratum est; quare in vero scirrho exquisito nec resolvens, nec antiphlogistica methodus tentari potest, imo vero in diagnosi dubia et in formis morborum ambiguis, ubi tum tractatio scirrhum re vera existentem vel non existentem demonstrabit.

3. Methodus alterans et reproductionem deprimens.

Si processus carcinomatosus tantum ex nisu formativo quasi de via recta aberrante proflueret, haec methodus re vera optima esset, sed nisus formativus normalis non tantum anomali modo se regularem praebet, sed simul momentum quoddam specificum adest, quod deprimenda reproductione amoveri non potest. Cura detractionis et famis laudata est, sed experientia docuit, ex hac, in primo initio morbi, retardationem mali, non autem sanationem radicalem gigni, imo etiam conjuncta cum usu internorum deletarie ad reproductionem influentium remediorum. In multis casibus ex hac conjunctione incommoda prodierunt, ubi malum determinans, ex. gr. apud doses mercurii, scorbuticae vel herpeticae naturae erat. Idem et apud metalla alia, aurum, plumbi praeparata, ferrum evenit. Metalla in certis quidem quibusdam casibus maxime prosunt, et iis egere non possumus, sed iis uti velle in omnibus casibus, ut ex. gr. novissimo tempore auro muriatico, amentiam designat, certa enim metalla certis formis carcino-

matosis respondent, et dyscrasiis illa producentibus. Si mercurius apud carcinomata cum basi syphilitica juvat, nocebit, ubi basis scorbuticae vel herpeticae naturae est. Aurum muriaticum tantum apud formas scrophulosi pendentes, proderit, et antimonium tantum apud carcinomata herpetica juvabit. Ad metalla narcotica accedunt. Haec deprimunt reproductionem et diu adhibita sanguinem permutant. Medici, qui systema nervorum apud processus carcinomatosos influere putant, apud magnos dolores narcotica adhibenda esse existimabant, et quaedam narcotica remedia universalia appellarunt. Starke recommendavit cicutam, extractum conii maculati et aquam laurocerasi quasi specifica; ex causa analogiae forsan a medicis Suedicis extractum calendulae recommendatum est. Narcotica tantum adhibenda sunt ad minuendam irritabilitatem, usus perpetuus autem rejiciendus, cum organa digestionis corrumpunt, et nutritionem et inde vitam a radicibus evertunt.

4. Methodus compressionis.

Compressio novissimo tempore a medicis Francogallicis, a Recamier ante omnes, glorificata est; et ea maxime apud firmum fundamentum, ubi locus affectus circumscribi et malum in locum nativum restringi potest, ubi morbus in primo stadio est, et positio ejus compressionem patitur, quod raro evenit. Sed etiam his restrictionibus methodus Recamier in malo, cujus therapia adhuc tam infaustos prospectus praebet, maxima cum diligentia adhibenda est. Ubi symptomata inflammationis circa tumorem sunt, compressioni applicatio hirudinum praecedat.

5. Methodus exstirpationis.

Fere de nulla re opiniones medicorum adeo divergunt, quam de indicatione exstirpationis partium carcinomatosarum, et adeo differentiae sunt, ut totae nationes de hac re certent. Dum medici Anglici carcinoma quasi noli me tangere tractant, exstirpant Francogalli operationum cupidi omnia organa carcinomatosa, in quibus operatio possibilis, imo et uterum et intestinum rectum. In medio virtus; operatio sola non juvat, sed potius illa eruptio affectationis internorum ad vitam absolute necessariorum organorum acceleratur, et aegrotns eo citius moritur. Exempla de malo eventu docent, sed ob hanc rem exstirpationem omnino repellere, maxime tum, quum mala inde orientia vitare possumus, idem esset, ac si quis gladium abjiceret, quia se, male cautus, vulnerarat. Si momenta aetiologica exquiri possunt, si tractatio praeparatoria, connexa cum momentis causalibus praecessit et post operationem continuatur, si derivatione in loco pseudoplasmatis nativo secretio perpetua servatur, sic, ut si morbi processus casu deterrimo rursus erumpit, in eo ipso loco se excolere debeat, et si affectio adhuc in primo stadio in locum nativum restricta est, exstirpationem designatam esse nemo dubitabit. Cautelis his deficientibus, et exculto jam morbo, operatio non indicata est, illa enim facta morbus in organis internis, ubi jam residet, celerius se expediet. Pro varietate organorum et nonnulli modi carcinomatis hac ratione minus periculosi sunt, ex. gr. labiarum et glossae carcinoma. Cancer glossae crebrius quam aliae formae fausto eventu operari potest. Maxime cancer pectoris recidentiae est subjectus.

6. Methodus applicationis causticorum.

Si ulceribus scirrhosis fundum scirrhosum et margines ad certum modum, nempe usque ad sanam telam cellulosam destrui possumus, pseudoplasmate destructo in ulcera pus laudabile efficientia et granulantia permutantur, quae facile cicatrices formant. Haec methodus juvat apud plura genera carcinomatis vultus, apud carcinoma nasi, raro apud carcinoma pectoris. Medicamentum optimum est arsenicum album, non tantum ulceris membranam destruit, sed etiam faute alterantem, usu vero incauto venenantem effectum producit, in totam constitutionem et inde in morbum constitutionalem. Aptissima forma adhibendi a Saint Cosme praescripta est. Primo enim et unico usu pulveris arsenici albi omne carcinomatosum destrui deberet. Si hoc non possibile est, vel propter majorem extensionem ulceris usus nimium extensus arsenici periculi toxicationis causa fieri non potest, tum Helmundi methodo utenda est, pulvis Cosmicus per unguentum deligationi aptum, nempe narcotico — balsamici iteratim et partim usque ad plenam reunionem adhiberi potest.